

læ mox extingvitur, & carbones candidi impositi mox amittunt suam urentem efficaciam.

2. Pulvis pyrius in vacuo accensus per convexum vitrum non flammam amplius concipit nec fragorem edit, sed tantum colliquescit & resolvitur in fumum qui fundum vasis petit.

3. Globus plumbeus involutus papyro igne candelæ fundi potest papyro illæso.

4. Ipsa charta superposita igni non accenditur si nempe vasi argenteo accurate fuerit circumvoluta: ita etiam stramen concisum, vulgo *Höckerling*/in acervum positum flammâ non comburitur.

5. Sulphur aquæ impositum accenditur per vitrum causticum, nihilominus verum est, sub aqua nec sulphur nec petroleum nec camphoram ardere.

6. Fornaces singulariter construi possunt, ut dimidio ligni illud præstari possit quod duplo, hoc respectu communicationis aeris in effectum traducendum.

DEMONSTRATIO IX.

Radii solares, vitro prægrandi Tschirnhau-  
fiano excepti & concentrati, longe potentio-  
riorem effectum exerunt quam ul-  
lus alius ignis.

*Experimenta.*

1. Quodvis Lignum madidum foco oblatum in momento accenditur & flammam concipit.

2. Omnia metalla in debita quantitate applicata, nempe cuprum, ferrum, argentum, aurum in momento liquefacit, ferri autem laminam statim perforat. Notabile est, dum ferrum in fusione stat, quod radios & scintillulas

C

copi-